DE FUNGO MEDULLARI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XXIII. M. MAII A. MDCCCLIV
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
JULIUS ANTONIUS WEYHE
QUEDLINBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
ADOLF WOLF, MED. CAND.
EMIL NOTH, MED. CAND.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS.

PATRI OPTIMO

DILECTISSIMOQUE

HASCE PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUTOR.

Fungus medullaris (Markschwamm), sive sarcoma medullare, quod nomen ei Abernethy imponi vult, sive spongoid inflammation auctore J. Burns, sive sarcoma fungosum, carcinoma molle et fungosum secundum Roux, sive carcinoma medullare, encephaloide secundum Laennec, etiam cancer cerebriformis encephaloides ab Hey nominatum, praeterea a doctissimis Wardrop, Langstaff, Meckel sub nomine fungi haematodis descriptum (quo tamen nomine melius sine dubio est certum quendam in evolutione fungi medullaris gradum significari) tumor est pravae et malignae indolis, qui in diversissimis corporis locis potest occurrere.

§. I.

Symptomatologia.

Haec igitur prava affectio ex omnibus organis et formationibus, quae in corpore reperiuntur, vel in peripheria originem ducere potest; saepe etiam accidit, ut compluribus in locis eodem tempore simul exardescat, qui singuli tumores ita comparati sunt, ut in evolutione mutua, vel maxime ex se invicem pendeant. Etenim isti tumores in bulbo oculi, in extremitatibus, in mammis feminarum, in parotide, in glandula thyreoidea, in testiculis, in ovariis, in utero, in hepate, in liene, in renibus, in pulmonibus, in corde, in membranis mucosis atque aliis in partibus saepe observati sunt. Prout igitur haec mali sedes diversa est, ex eo etiam symptomata ejus modi offert, quae magis vel minus inter se discrepant; quod praecipue de bulbo dicendum est.

Quodsi fungus medullaris infra commune corporis integumentum nascitur, haecce praebet phaenomena:

Initio tumor apparet parvus, circumscriptus, planus, laevis, mollis, aut duriusculus, sub integumentis communibus haud mutatis, mobilis. Majorem si assecutus est magnitudinem, mollior fit, magisque recellens. Si crescendo corporis superficiei fit propior venae evidentiores fiunt cutaneae, cutis regionis affectae fit tenuior et deco-

lor tandemque rumpitur, sanies nunc effluit cruenta, malum spargens odorem; destructa cute excrescentia mox oritur fungosa, celerrime crescens. Forma ejus saepissime est rotunda, superficies inaequalis, aspera, habituque baccae fructus rubi idaei, vel brassicae botryitidis haud absimilis; coagulo sanguinis saepe obducta, coloris est rubri, fusci, quumque perquam sit vasculosa, sanguinem emittit leviter jam tacta, quid quod et sponte. Collum tumoris tenuiusculum, nam in exulceratione cutis sicut in abscessu, per totum ambitum aequaliter attenuata, atque fusce colorata non est, sed hae mutationes in loco fiunt exacte circumscripto, ita ut excrescentia fungosa crassis aperturae cutis marginibus, ceteroquin haud mutatis, circumdata, prematur. —

Magnitudinem cum assecuturus est satis magnam, partes praesertim eminentes marcidae factae decidunt atque sanies effluit, foetidissimum spargens odorem interdum et sanguinis oriuntur effluxus satis magni. Excrescentia fungosa loco cutis exulceratione destructo nata in tumoribus tantum primario affectis, minime in iis oriri videtur, quae secundario in glandulis gignuntur lymphaticis. Jam diu interdum tumor adesse potuit sine molestiis, tandem vero musculos premens, ac nervos, functiones istorum laeduntur et oriuntur dolores, tumore praesertim permagno aut exulceratione jam exorta saepe vehementissimi ac lancinantes. Glandulae vasorum lymphaticorum e partibus

affectis originem ducentium, ocius serius intumescunt, ulceraque fiunt impura, malo habitu, plerumque vero aeger, priusquam cutis glandulam tegens destructa est, moritur. Praeterea morbus serius vel eodem tempore in aliis oritur organis remotis, nullis cum iis, quae jam antea affecta erant, conjunctis vasis lymphaticis. Aegri nunc et dolores queruntur internos variasque functiones organorum internorum laesas. Quibus sic et repetitis sanguinis ichorisque fluxibus efficitur, ut magis magisque fiant debiles, faciei colorem induant gilvum, lividum cutisque flavidum, quibus cum febris supervenerit hectica moriuntur.

Juventus huic morbo magis videtur obnoxia esse quam homines, qui jam longius aetate provecti sunt, quam rem doctissimi quoque Wardrop observationes satis perspicue confirmant, quippe qui istum tumorem vicies in pueris et quater tantummodo in hominibus adultis viderit.

Temporis diuturnitas per quod hoc malum perseverat, valde diversa est; modo exigui tantum fungi medullares sufficiunt, ut vires aegroti celeriter conficiantur, modo contingit, ut tardo progressu usque ad insignem magnitudinem crescant, ita ut vitae aegroti immediate parum periculi afferant. Raris tantummodo casibus, veluti in eo exemplo, quod infra extrema in dissertatione describendi nobis potestas fiet, isti tumores ingentem et mirificam ad magnitudinem perbrevitempore augescunt. Semper vero fieri solet, ut fungus medullaris breviore temporis spatio,

quam scirrhus decurrat. Fungus medullaris, qui in superficie corporis sedem collocavit celerius lethiferum exitum efficit, quam qui in internis partibus natus est; quum vero eo demum res pervenit, ut fungus medallaris ruptus sit, mors paucarum hebdomadum intervallo consequitur. Quodsi fungus medullaris in cavo abdominis sedem habuit, tum exoritur, aut ascites aut anasarca, sin idem malum in thorace insidebat, hinc aut hydrothorax aut pulmonum apoplexia nascitur.

---

§. II.

Anatomia pathologica.

Massa fungosa secundum plerosque est homogenea, coloris lactei, in locis quibusdam rubicundi, tela cellulosa tenui in lobulos majores minoresve divisa, in lamellas tenues secta subdiaphana est et consistentia et colore cerebro similis. Saepissime vero minus cohaeret, friabilis est adeo, ut digitis facile conteri possit, in superficie multa animadvertuntur vasa, sulcos intrantia, quorum rami ipsam penetrant substantiam, tunicae vasorum, quas saepe ne animadvertere quidem possis, tenuissimae sunt facileque divelluntur.

Substantia aëri diutius exposita, mutatur in pultem,

cum aqua frigida facile commiscenda partim in ea solvitur; cocta in aqua, atque alcoholi, acidisve imposita, firmior fit ac durior; parte molliore aqua lota atque expressa, partes remanent densiores, e substantia constantes cellulosa, quantitate et densitate quam maxime diversa.

Analysi chemica eam constare ex albumine, materia pingui, osmazom, calce, magnesia et kali phosphorico, sulphure atque phosphoro inventum est, ita, ut eam constituentium quoque partium respectu cum substantia cerebri congruere appareat. Substantia vero et in diversis casibus et locis et partibus ejusdem tumoris est varia. In seriore si eam perscrutamur morbi periodo, aliae partes, quoad consistentiam sunt similes puri crasso, coloremque habent albidum vel rubicundum, aliae sanguine effuso et aucta jam vasorum evolutione, coloris sunt fusci habitumque prae se ferunt coaguli sanguinei. Interdum et tota substantia tantopere sanguine est mixta, ut nulla fere cum substantia cerebri adsit similitudo, color ejus rubicundus est, vel ater et quoad consistentiam pani nondum cocto, arido, paullulum friabili substantia est similis.

Interdum, praesertim vero, si sedes morbi est in oculis testibusve ossa in ea inveniuntur cartilaginesque.

Tota massa integumento saepissime circumdatur celluloso secundum organorum, quoad telae eorum cellulosae differentiam, vel laxiore vel firmiore et ita quidem, ut

fines ejus plerumque exacte sint distincti; tumore vero majore partes circumdantes inter se separantur et, si morbi sedes in extremitatibus est, musculi saepius inveniuntur massa circumdati morbosa. Forma tumoris saepissime est rotunda, ovalis, vel inaequalis, superficiesque sulcis magis minusve profundis in lobulos divisa.

Interdum massa in propriis inveniebatur folliculis, quorum parietes diversae fuerunt crassitudinis, raro vero lineam dimidiam excesserunt, color eorum fuit griseus, vel argenteus, saepius subdiaphani erant, cartilaginosi vel fibrosi, substantiaque medullaris iis inerat facile separanda.

Quodsi fungum medullarem microscopii ope diligentius perscruteris, substantiam in eo medullosam et intercellularem substantiam possis distinguere. Atque in illa quidem superiore, quam medullosam nominavimus, cellulae animadvertuntur granulatae, globulorum purulentorum similes, quorum nucleoli magis vel minus perspicue discerni queunt, cellulae multis angulis instructae, irregulares, varia magnitudine, deinde cellulae caudatae vel fusiformes, tum nucleoli usitati voluminis, quibus puncta rotunda vel ovalia saepenumero nitida circumcluduntur, aut majora corpora cum nucleolis ultra legitimum modum amplificatis; granula elementaria et massa fundamentalis, cellulae matres, cellulae irregulares, vel etiam formationes

utrisque similes, cellulae adiposae etiamque corpuscula nucleorum satis frequenti numero, atque adeo, distantiis satis regularibus.

---

§. III.

Diagnosis.

Fungus medullaris, quum tam multis quoad colorem, consistentiam ac structuram obnoxius est mutationibus ex individuorum partim diversitate, partim vero morbi in variis organis sede, partim quo tumores explorabantur periodo, vel causis aliis fortuitis originem ducentibus, interdum etiam similitudinem habet cum aliis morbis, re vera autem maxime ei dissimilibus quumque auctores primi hunc morbum describentes, observationes suas casibus non comparaverunt ab aliis scriptoribus jam enarratis, factum est, ut fungus medullaris nominibus variis sit descriptus et propter nonnullas levesque mutationes alius creditus sit morbus cumque aliis commutatus. Quanquam vero fungus medullaris ab aliis formationibus pseudoorganicis distinguendus est, tamen tumores observantur, qui et ad fungum et ad alium morbum adnumerari possunt, quod in natura fines circumscripti, quibus morbosi proventus separantur, non adsunt.

Morbus, quem antea malum esse cancrosum credide-

runt, cancri mollis plerumque nomine insigniebatur. Quorum morborum in eo constat similitudo, quod exulceratione orta in ambobus sanies secernatur malum spargens odorem, quod in cancro quoque saepius excrescentiae sint fungosae et quod ambo aequaliter sint lethales; quod in omnes sese dilatantes directiones cum vehementibus saepe conjuncti sunt sanguinis effluviis, quod in pluribns saepe inveniantur organis exitumque habeant eundem perniciosum. Attamen quoad plurima inter se differunt. Scirrhus enim constat ex tumore duro, tuberoso, haud comprimendo, duobus diversae indolis composito substantiis, quarum una dura est ac fibroso, alia mollior ac quoad habitum natura anorganica; pars fibrosa dissepimenta format magnitudinis variae ordinisque incerti, massa quibus inest mollis, semipellucida, caerulea, saepe viridescens, albida et rubicunda. Ceterum ambarum variat partium ratio, pars fibrosa verum nucleum format, e quo dissepimenta originem ducunt in omnes regiones sese extendentia, quaeque tumori secto formam praebent radiatam. Exulceratio in tumore oritur cum doloribus vehementibus, pungentibus, ardentibus, plerumque a partibus internis extrorsum, interdum etiam et ab externis introrsum sese extendit.

Priore tempore viri eruditi, quum hunc fungum medullarem cum scirrho accurate conferre et comparare instituerent, rem gravissimam omiserunt, quae in decursu utriusque horum morborum conspicua est, et in quo maxi-

mum discrimen inter scirrhum et fungum in universum positum haberi debet. Hoc scilicet interest, quod fungus medullaris luxuriando dumtaxat dilatari ac propagari partesque finitimas suo loco depellere, quae nullam aliam patiuntur mutationem, nisi quae pressione et tensione efficitur, nec vero, ut in scirrho accidere solet si latius difunditur, vicinas partes ejusdem degenerationis participes reddit. Quodsi vasa, nervi, musculi similiaque organa fungis medullaribus circumclusa sunt, nunquam profecto ea invenias in eandem degenerationem tracta, atque ut fungus medullaris a fasciis, vasis, musculis aliisque eodem de genere partibus dissolvatur, tanta semper facilitate fieri potest, quantam nusquam in scirrho nanscisceris. Quae quum ita sint, hoc potissimum discrimen quod modo inter fungum medullarem et scirrhum intercedere vidimus, ut gravissimum idque quod naturae rei inhaereat, certe quod ad usum medicum pertinet, teneamus oportet. Interdum fungus etiam confundebatur cum tumoribus scrophulosis. Attamen in morbo scrophuloso semper adest scrophulosa corporis diathesis, quam frequenter quidem adesse constat, in fungo semper vero adesse non opus est. Tumores enim scrophulosi e massa constant friabili, caseosa, cretacea, fungus vero tumorem refert mollem, recellentem, pulposum, cerebri substantiae similem. Illi mutantur in liquorem puriformem, nunquam vero excrescentia oritur fungosa, nunquam sicut in fungo medullari, mali

odoris, ichorosique liquoris effluvium. Praeterea fungus medullaris vim habet in corpus perniciosiorem, celeriusque aegrotum exstinguit, quam morbus scrophulosus. Tumorem refert mollem, recellentem in tactu sensum moventem fluctuationis. Massa constat molli, pulposa massae cerebri simili cum aqua facile miscenda partimque solvenda.

---

§. IV.

Aetiologia.

Iam vero ut ad causam veniamus, unde haec prava ac misera affectio originem ducere videatur, nihil de ea afferri potest, quod certo affirmare liceat. Atque in hac quoque ut in omnibus fere ejusdem generis morbis multi fuerunt, qui in arthritin, syphilidem, scrophulosin, rheumatismum, similiaque mala culpam conferendam censerent, tanquam ea causam praedisponentem dedissent; verum tamen saepe numero homines, qui nullo istius modi malo conflictantur et valetudine incolumi fruuntur, hoc potissimum morbo corripi et mortem obire videmus. Si alios auctores audimus, culpa morbi mechanicis causis veluti pressioni, pulsui vel ictui vel contusioni tribuenda videtur. Quidquod alii viri clarissimi et sagacitatis laude

florentes, quo in numero Wardrop et Maunoir sunt nominandi, statuerunt, morbum esse morbosam succi nervei mutationem vel effusionem substantiae nervosae vel mutationem organorum in massam cerebralem! Denique ut rem breviter praecidamus, hoc loco idem nobis accidit, quod in multis reliquis dyscrasiis, quae vocantur, causarum perscrutatoribus usu venire solet, ut hac de re nihil prorsus habeamus, quod certum et exploratum constitui queat, ac ne quidquam viri ingenio vel industria praeclari operam et diem consumpserunt, ut veram hujus morbi rationem indagarent.

---

§. V.

Prognosis.

Mors certissimus hujus morbi exitus est. Nec vero unquam docti viri observaverunt valetudinem in integram conditionem esse restitutam; ad summum, si quid aliquando melius fieri videbatur, id modo ad breve tempus insidebat; etiam si quidam vel medici vel mediae artis ignari mira quaedam et incredibilia se sua arte profecisse gloriantur. Serius ocius etiamsi intermissio mali paucorum annorum incidat, semper mors consequitur.

---

§. VI.

Cura.

Frustra viri clarissimi universam aciem medicamentorum istius mali atrocitati opposuerunt; ne quidquam aqua et igni, ut agunt, tantam pestem restinguere conati sunt.

Mercurialia quidem antimonialia, arsenicum, potiones ligni denique nostra memoria illud iod, quam praestantissimam panaceam multi laudaverunt ad hanc quoque affectionem tollendam commendata sunt; verum tamen istane remedia, omnino valeant hujus morbi decursum vel paululum lenire aut retardare, in integro nobis relinquendum est. Nec vero melius quidquam operationes usurpatae profecerunt, quippe quas plerumque recidiva majore vel minore vehementia sint consecuta, nisi forte aegrotus homo, jam ex ipsa operatione mortem obiit. Quin etiam duplici vulgo celeritate et aucta vehementia malum operatione perfecta redintegratum est, tanquam acriter iratum suum decursnm legitimum vi adhibita retardatum conturbatumque esse. Qua propter nihil aliud tanta in calamitate relinquitur, nisi ut narcoticis utare, et aegrotum summe cruciatum, quam diligentissime foveas et diaetam caute servare jubeas; haec igitur sola remedia restant, ex quorum usu medico aliquid sperare liceat, scilicet se do-

lores saepe numero ingentes et terribiles aliquantum lenire posse.

---

§. VII.

Historia morbi.

Maria S....., unum et triginta annos nata, pridie Nonas Martias hujus anni in clinicum chirurgicum ophthalmiatricum recepta est, quod in hac urbe directore Blasio, viro chirurgicae imprimis artis praeter ceteros perito et largo felicique usu clarissimo. Haec aegrota querebatur, se duobus mensibus praeterlapsis trahentibns et corripientibus in abdomine doloribus vehementer cruciatam esse, qui praecipue in regione hypogastrica et femore dextro exarsissent, deinde praedicabat, se obstructione et crebro ad urinam mittendam impetu laboravisse; quo accessit, ut menses in ea per idem bimestre tempus oppressi essent. Negabat autem, se ab ineunte aetate unquam morbo conflictatam fuisse; menstruationem quidem ab anno aetatis suae decimo sexto recte et legitime evenisse dicebat, simul etiam se usque ad brumale proximi anni tempus vel gravioribus laboribus facile atque commode esse perfunctam. Nunquam viro nupsit nec peperit nec ceteris in partibus ullis excessibus vitae, qui forsitan istius morbi causa haberi potuissent, indulsit.

Statura est robusta ac densa, sed jam habitum prae se fert, qui dyscrasiae carcinomatosae proprius apparet.

Quum aegrota extrinsecus exploratur, haec fere reperta sunt. Totum abdomen durum et tactu tuberosum usque ad duo pollices supra umbilicum, maxime vero dilucide inaequalitates istas in sinistra regione inguinali tangendo percipere possis. In regione iliaca sinistra nodulum tactu animadvertas exiguum juglandis magnitudine qui, palpitatione adhibita, ex digitornm apicibus elapsus est. Nec vero fluctuatio usquam sentiri poterat; percussio per universum abdomen sonitum oppressum exhibebat, qui femoribus percussis audiri solet, excepta gastrica regione, in qua sonum intestinorum percussorum proprium percipere licebat. Jam adhibita auscultatione in regione inguinali strepitum susurrantem sonitus placentaris haud dissimilem audiebamus, quem tamen inde facile explicare poteramus, quod ex pressu tumoris in arteriam iliacam originem duceret.

Quum interna disquisitio usurparetur, digitum aegre tantummodo in vaginam introducere licebat, propterea, quod parvus tumor ac tuberosus parvae juglandis fere magnitudine, qui media in regione fundum inter et orificium vaginae in posticam et sinistram versus partem sedem collocavit, digitum longius se inserere prohibet. In exploratione per vaginam sanguis et pus ichorosum in digito relinquebatur. Orificium uteri in dextram partem tan-

quam fissura transversa acribus marginibus praedita sentitur. Posterius labium orificii uteri in tumorem eum, cujus modo mentionem fecimus, paulatim transit, quum anterius labium tantummodo, ut exiguam valvulam percipere liceat. Rectum etiam intestinum usque eo tumoris impetu compressum est, ut nisi magna contentione utaris, digitum introducere nequeas. Hoc autem loco inter intestinum rectum et uterum duri tumores ac tuberosae degenerationes sentiuntur, quum mucosa recti intestini membrana libera sit.

Ex hac igitur exploratione et propter cachecticum aegrotae habitum et propter amplificationem tumoris mirifica celeritate crescentem hunc malignae naturae esse statui oportebat. Diagnosis obtulit. Fungus medullaris uteri et ovarii.

Quapropter infusum sennae cum natro sulphurico feminae praeceptum est, insuper quotidie clysma adhiberi jussum. Praeterea oleum hyoscyami coctum quod integumentis abdominis infricaretur, vespertino denique tempore pulvis Doveri adhibebatur. Jam trium hebdomadum intervallo satis bene se habuit, neque multum se doloribus vexari questa est, tum vero ascites incidit atque oedema pedum, dyspnoea initio haud vehemens acerrimam indolem praebuit, ita ut ante diem quartum Nonas Apriles morte doloribus liberaretur.

§. VIII.

Necroscopia.

Cavum et thoracis et abdominis patefactum, exinde rectum cum utero, vesica urinaria, ovariis ex pelvi praeparando remotum est. Aperto abdominis cavo sex fere usque ad octo sextarii aquae ex subflavo viridescentis et albumen continentis effluxerunt. Tela pulmonum rectam et normalem indolem prae se ferebat, ipsi pulmones exigui, compressi, parum aëris continentes et oedematose infiltrati. Cor et ipsum exiguum ceteroquin normale sursum pressum. Diaphragma tumoris in abdomine impetu usque ad quartam costam sursum erat compulsum. In cavo abdominis ingens copia fungorum medullarium animadversa est formationis et vetustae et recentioris. Totus saccus peritonealis ista copia erat expletus. Tumor quidam ingenti ambitu adeo creverat ut hepar incapsularet ac per universam fere peripheriam substantiam hepaticam ceteroquin normalem loco dimoverat. Major tumoris massa inter convexum hepatis marginem et diaphragma sedem habebat. Facile massam fungosam a diaphragmate et a normali hepatica substantia digitorum ope deglubere licebat, ita ut tumor originem a peritonaeo quodammodo duxisse videretur. Ventriculus et lien fungo medullari liberi, sed uterque longe in sinistram et supernam partem

compressus apparebat. Renes normali indole praediti. Omentum majus densissime fungosis tumoribus investitum erat, quorum unus duritie excellebat et quantum ex ejus situ conjicere poteramus, idem erat, quem viva aegrota per abdominis integumenta senseramus. Processum vermiformem tumor ovi gallinacei magnitudine circumclusum tenebat. Sinistrum ovarium prorsus degeneraverat, ejusque in loco ingens fungus medullaris diametro VIII—X pollicum natus erat, qui media in regione tanquam in duas partes divisus et constrictus apparebat. Tubam fallopianam, in quam specillum inductum est, usque in tumorem persequi licebat, in quem nullo perspicuo fine transibat. Ille vero tumor, qui dextrorsum spectabat, tenuem quandam massam colloideam continebat dimidium fere sextarii, quae secta ea parte facile effluxit.

Dextrum ovarium aderat aliquantum concrassatum tribusque tumoribus fungosis pisorum magnitudine instructum erat. Uterus ultra symphysin ossium pubis in dextram partem depulsus, ipse magnitudinem pugni prae se ferebat, externa ejus substantia perfecte normalis, ita ut facile adduci possis, ut foetum in eo latere crederes. Patefacto utero massa apparuit fungosa solida, plana, pyriformis, quae libera in uteri cavitate jacebat et ad posteriorem supernumque fundi uteri parietem loco orbis instar rotundo unius pollicis diametro insidebat, qui tumor admodum siccus, stearini in modum tanquam foliatus nullum

succum carcinomatosum continebat. Idem duplicem compressionem perpessus erat, primum magnis illis in abdominis cavo tumoribus, deinde contractilitate parietum uteri.

Vesica urinaria perexigua parietibus concrassatis. In vaginam tumor ovi columbini ambitu imminebat, qui ejus parietes aliqua ex parte destruxerat; idem nimirum, quem in perscrutatione manifesto senseramus. Pondus autem horum omnium tumorum circiter quadraginta librarum erat.

Exploratio microscopica eadem insignia anatomico-pathologica exhibebat, quae paullo ante commemoravimus. Una excepta est substantia medullaris uteri, quae quidem exiguas cellulas granulatas continebat cum paucis nucleolis, simul paucas cellulas caudatas, porro frequentes cellulas nullis perspicuis lineamentis, tum cellulas dilapsas, pauca denique ac perexigua sanguinis corpuscula, ita ut duplici pressu normalem cellularum formationem maxime impeditam et retardatam esse appareret.

VITA.

Natus sum ego Julius Antonius Weyhe, Quedlinburgensis, die VIII. mens. Aug. MDCCCXVIII. patre Carolo matre Emilia e gente Ehlers, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus gymnasium adii Quedlinburgense, quod etiam nunc directore Richter floret, maturitatis testimonio instructus paschali tempore MDCCCIL almam Georgiam Augustam petii, ubi ab Ill. Fuchs, prorectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus sum. Per duo semestria hisce scholis interfui, beat. Langenbeck de osteologia, syndesmologia, angiologia, myologia et splanchnologia, Griesebach de botanice, Woehler de chemia organica et anorganica, Wagner de physiologia et anatomia nervorum cerebri et spinalium. Deinde uno semestre praetermisso tempore auctumnali me in Academiam Halensem contuli, ubi ab Ill. Volkmann, prorectore magnifico, denuo numero civium academicorum adscriptus sum. Halis per septem semestria hisce scholis interfui: Erdmann de logice et psychologia, Cornelius de physice, Giebel de zoologia, beat. Germar

de mineralogia, beat. Steinberg de venenis metallicis, d'Alton de anatomia corporis humani, de anatomia generali, de arte cadavera rite dissecandi, Volkmann de physiologia et historia generationis et de anatomia comparata, beat. Friedlaender de pharmacologia, Krahmer de pharmacologia et arte medicas formas conscribendi, de Baerensprung de auscultatione et percussione, Krukenberg de pathologia et therapia generali specialique, Hohl de arte obstetricia, Blasius de chirurgia, akiurgia, de operationibus ophthalmiatricis, de arte fascias rite applicandi, de instrumentis chirurgicis.

Scholis clinicis interfui medicis apud Krukenberg, chirurgicis apud Blasius, obstetriciis apud Hohl. Quibus omnibus viris optime de me meritis summas habeo gratias semperque habebo.

Jam vero tentamine et philosophico et examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Quies post coenam magis prodest quam motus.

II.

In somno et functiones et secrectiones organorum sunt minutae.

III.

Aperturam foramimis ovalis per se non esse causam cyanoseos.

IV.

In pneumonia biliosa venaesectio rejicienda est.